


PACIFIC
MAXIME













M [illegible]

[illegible]

PACIFICVS Maximus Poeta Asculanus
Ioanni fatali Salualio.

Salue bellorũ terror/fulgurq; superbum:
Cui bellona facẽ tribuit/telumq; trabale.
Ianq; diu pecudum fibris/auiũq; uolatu
Agnouere diem uates/quo incognitus ulli
Agricola insurget: qui bello fortis/& auro
Instruet ęratas acies/populosq; tyrannis
Eximet/& solus toti dominabiť orbi.
Nulla hunc fulminei quassabit machina belli/
Pectora nuda dabit telis. nec pectora missa
Tela petent. nullo uiolabiť ille ueneno.
Sępeq; calcantẽ fertur dixisse/superba
Arx tarpeia ruet/cadet & mauortis origo/
Et nunq̃ emerget/nisi cũ uersabit aratro
Auratas glębas/ignotaq; fata colonus.
Sic & apollineo cecinere oracula templo
Tempus erit: quo cũcta ruẽt/præssusq; iacebit
Quisq; bonus/pænasq; dabit miserabilis ĩsons.
Crimen erit uirtus/& nullo incrimine labi.
Quãto erit inscelere/aut ĩcrimine maior iniquus:
Tanto hic imperiũ capiet/solioq; sedebit.
Bella parens natis/& nati bella parenti
Constituent/carisq; insurgent urbibus urbes.
Construet insidias regi rex alter amico.
Non socius socio tutus/nec amata uoluptas
Aeternã seruare fidẽ/pactumq; ualebit.

Bellona.

chaos

Iam chaos orbis erit/iam nulla a lege uehetur
Axis adoccasum/nec sol contrarius ibit.
Tunc quo non alter pacis/nec amãtior ęqui/
Nec melior cultor recti extitit: ęthere abalto
Spiritus elapsus falsa subimagine pastor
Errabit/fortiq; manu/uirgaq; potenti
E/media tellure petet: quas ipsa subimis
Visceribus contexit opes/mundũq; cadentem
Non sinet elabi/ saturno regna fugato
Reddet/& auratæ reuocabit sęcula uitæ.

Themis

Fata themis cecinit saxo sacrata bicorni
Texit opes tellus/cum mundũ tex erat unda!
Quas bonus effodiet messor/populosq; labantes
Curabit refouere pius/ferroq; nocentes
Comprimet/& toto regnabit solus in orbe.
Hoc erit: effusi cum patris sanguine natus/
Et pater effusi gaudebit sanguine nati/
Cum materna ferus distringet pectora ferro
Filius/& poterit matrem spectare cadentem/
Cumq; cadet frater fraterno fossus abense/
Vxoris dextra cum uir cadet/illa mariti.

Cassandra.

Esse quoq; infatis dixit cassandra futuris:
Qui maris/& terre compescet iura: colonum.

Penthesilea

Talia diuino cum penthesilea furore
Lapsa foret dixit. ruet hoc/iterumq; resurget
Romanum imperium: tenebras cũ pastor opacas
Laxabit mauorte fero/belloq; refectas.

Medea.

Sic medea suis cantatis nouit in herbis.

Defunctūq; loqui sic corpus nouit erichtho. Erichtho
Hoc: quoscunq; deus furiis incendit/ & urget:
Senserunt/ non hoc sacrę tacuere sibyllę.
Fama tumet/ tacitūq; fremit circūundiq; murmur
Aduētasse uirū: cui mons se scindit/ & offert
Suffusas immēso auro/ gemmisq; cauernas:
Cui diua ambiguo/ & sinuoso lubrica tractu
Colla leuat/ lambitq; genas/ & dulcia labra
Inserit/ & longos renouat spiratibus annos: Spirantib.
Cui non tela nocent/ nec mixto uina ueneno:
Quē genus omne fugit mortis/ quiq; oē futurū
Scrutatur/ mentesq; hominū/ & penetralia cordis:
O superi/ diuiq; pii tu ne ille: cadenti
Quem deus humano generi prefecit/ & orbi?
Tu ne ille? o latium q̄tum te fata benignis
Conspexere oculis: quæ non sunt passa supremo
Supplicio euerti/ sed tanto obstare dolori
Extremo uoluere tuo/ miserę q; ruinæ.
Quid supest qui cuncta ruāt/ quid restat ut orbis
Effracta compage cadat/ repetatq; profundū/
Antiquumq; chaos/ tenebrosi et cæca baratri?
Nunc hieme ardentes patimur sudoribus æstus/
Nunc gelidas ęstate niues. modo segnius undis
Mergere miramur/ citius modo surgere phœbū.
Friget sæpe leo. fit piscis sæpe tepescens.
Arida fit serpens/ nimioq; exæstuat igne.
Dum calet: inuetitū conuertere sæpe bootes Bootes
Conatur frustra plaustrum/ & contingere pontū.

Caucasus

Nunc primũ glacies uidet emollescere sole
Caucasus opposito/scythiamq; caloribus ustam.
Sępe etiã non dum cõiunctis cornibus orbem
Innouat/& pprio phębe non orbe reuoluit.
Sanguineus quoties(nec luna fit obuia)frater
Mãnsit/& obscuros ĩduta est ipsa colores:
Quãuis nulla iubar teneat contraria tellus/
Quãuis nec caput hos teneat/nec cauda dracõis?
Humanũ stupet omne genus/statq; omine mutũ.
Num globus antiquos longæ uertiginis axes/
Iunxit/& extremas fatum nũ texuit horas?
Quæ non dira sedent cęlo portenta sinistro?
Quę non signa iubent mũdi luctabile tempus?
Cũ sene falcifero multo truculentior astris
Oppressis/toto feruescit in æthere mauors.
Illorũ non alma uenus/nõ iuppiter iras
Temperat/infestos nullisq; retardat habenis.
Luridus occuluit nigro uelamine uultus
Lucifer/& nimbis armatus sęuit orion.
Vndiq; nunc ardet pplecto crine cometes
Flãmiger/& stellas maiori lumine fallit.
Mille faces uidi medio ĩcandescere cęlo.
Sanguineasq; graui cõmixtas grandine guttas
Obstupui maculasse solũ. brumalia turres
Fulgura pręruptas feriunt/rauciq; tubarũ
Aethere clangores/& diro sibila cantu
Captantur/uersuq; exturbat culmina bubo
Luctisono/exululantq; lupi/latrantq; canesq;

Cometes

Bubo

Per siluas/urbesq; omnes. ruptisq; sepulchris
Corpora compositis defunctorum ossibus errant.
Vmbreq;/atq; animæ passim sine corpore cęcas
Percurrunt tenebras/claro stridore silentes
Dant gemitũ/tractæq; sonant subnocte cathenę.
Per loca cum facibus nullo rutilantibus igne
Eumenides diuersa ruunt/crinesq; repectunt
Vnguibus/& diri sinuantur in urbibus angues.
Concordes uno discurrunt flamine uenti/
Cumq; feris rapiunt siluas/arcesq; superbas/
Ingentesq; urbes primo e fundamine uertunt/
Templaq; cum sacris sternunt/hominesq;/deosq;.
Sub terram boreas p rimas intrat opacas/
Supponitq; solo tergum/atq; tremoribus orbem
Succutit/& damno supremo męnia quassat.
Extincti iacuere deę uestalis in ara
Ignes/& flumen lachrymarum marmora fundunt.
Actonitusq; silet uates: pecus omine diro
Inter opus moritur/nec cultrum sanguine tingit.
Pestis ubiq; furit nulla medicabilis arte.
Nec fugisse iuuat/latebrasq; habitasse ferarum.
Non locus est uacuus morbo. iacet undiq; uulgus
Prostratum. non est: qui corpora ponat in igne.
Deq; rogo pugnant: tanta est insania mortis.
Feruet acerba fames. spes ponitur irrita sulco.
Et nulla in campis subiecta falce secantur
Semina/ nulla graui ducuntur ab arbore poma.
Cum pecore humanum raris genus errat in herbis.

Eumenides. [handwritten margin note]
Boreas [handwritten margin note]

...7. Deq; rogis pugnã: alternisq; ignib; ardent: [handwritten note]

Concidit omne pecus. nullius graminis herbæ
Nascuntur. nullos subeunt animalia casses.
O scelus in natos audent sęuire parentes/
Certatimq; artus (rabies stat tanta furoris)
Dilaniant/ puerosq; suos inuiscera condunt.
Hæc retinet dextram nati/ tenet illa sinistram.
Mox etiam proprios diuellunt dentibus artus.
Vndiq; bella mouet mauors. bella undiq; bella
Vndiq; crudescunt. non est locus unus in orbe:
Sanguine qui careat. mors est quocunq; fugamur.
Exitiumq; homini semper lethale paratur.
Italia. Italia innumeris discordi pectore castris
Insurgit. non hæc gallis/ sęuisq; britannis
Arma parat/ latiale petit sibi quisq; tyrannus
Imperium/ & regni latos extendere fines.
Ducere nemo suo uitam/ sed uiuere rapto
Quisq; cupit/ semperq; nouas adiungere prędas.
Pax iacet oppressa. & terras astrea reliquit
Astrea. Virgo. nulla fidem dissoluere dextra recusat.
Coniunctę sua pacta urbes/ & fœdera rumpunt/
Inq; uicem muros pandunt/ & tecta rotato
Igne cremant/ funduntq; alterno uulnere uitam.
Cominus. Contiguęq; domus concurrunt cominus armis.
Nulla casa est culmo/ aut ulua contexta palustri/
Aut modico nigrata foco: quę prelia tardet
Impia confuso secum immiscere tumultu.
Vbera forte parens cum natum ad plena uocaret:
Sic prætenta ferus petiit puer ubera ferro.

Cumq; uenire pater natum ad pręcepta iuberet:
Filius heu gladium condit sub pectore patris.
Gentis iuleę regum clarissima proles
Interiit/ stipesq; unus non extat. ab alto
Flenda iacet penitus penitus nunc culmine roma.
Quid scelera enumero. multo grauiora supersunt
In tantis lugenda malis. non crimina possum
Multa breui numerare loco. sunt omnia triste
Collapsa in facinus. nunc finis in orbe uidetur
Vltimus. in nulla spes est ponenda salute.
Sed solet extremis semper succedere damnis
Auxilium/ & primis contraria surgere fata.
Non hilaris fortuna diu/ nec tempore tristis
Esse solet longo/ sed semper læta sinistris
Pensat/ & in rebus nunq̄ stat certa secundis.
Promittunt hæc damna bonū. confidere tempus
Hoc iubet. & uitam ostentant hæc astra serenam.
Tu nunq̄ uenturus eras/ nisi debita terris
Soluissent hæc fata prius. spes unica mundi/
Spes optata diu/ spes sola/ & certa salutis
Venisti: o q̄tum superis hæc tempora debent/
Aeternoq; patri superum. quid gratius unq̄
Salualio tribuere dei: quid sanctius illo
Esse ualet: melius cesserunt fata petitis.
Effugite o quibus est sceleris permissa potestas/
Et timidos damnare bonos/ & iungere pœnas.
Effugite o miseri/ tellusq; orate baratrum
Pandat/ & obscuro demergite membra profundo:

Gens Iulia

Roma

FORTVNA

Saluatius

Qui nisi de rapto/nisi qui de sanguine egeno
Viuitis/& sacris spoliatis templa deorum.
En uenit suprema dies/& triste malorum
Supplicium/& diros qui castigabit iniquos.
Gaudebit iam quisq; bonus: qui pura tyrannis
Colla premenda dabat/qui iniustas carcere pęnas
Pendebat/censu qui se redimebat auaro.
Virtus summa peret/cæcoq; iacebit aceruo
Crimen/& emeritam spectabit culpa ruinam.
Gaude ó roma potens/surgent tua męnia/& alta
Reddetur tarpeia ioui/populosq; uidebis
Per mare/per terras diffusa lege potentes.
Cęsar adest: qui cuncta reget/manibusq; reuellet
Impia regna feris/& libertate reponet.
Nusq̃ quæstor erit/non testa onerata uehetur
Multo auro: ęternum: quod quisq; parabit: habebit.
Donaq; multa dabit/sparget sua munera dextra
Larga. nulla modũ cohibebit cura beatum.
Quid ue iuuat struxisse arces/molesq; superbas/
Et uallo cinxisse urbes/fossaq; profunda?
Quid facitis? cogit quæ mens insana tyranni
Scindere per partes orbem: quando omnia fatum
Saluałii imperio sine limite destinat ullo.
Turce quid italiam affectas/romamq; superbam/
Quo ue acies & castra trahis/quo pergis amyrrha?
Ausonię indomitas uires/populosq; feroces
Nescis? hah nescis fatalis munera operta
Saluałii bello inuicti/mauortiaq; antra?

Effuge. quid certã ꝓperas exposcere mortẽ?
Hic est: qui debet medio te euertere campo/
Quiq; tuas ferro uiolentas comprimet iras.
O melius nunq̃ si te florentia captũ
Tentasset torquere furens. cognoscere dirũ
Prodigiũ potuit: cum nullus funis ab ipso
Te ualuit remouere solo/nulliq; dolores
Te premerent/nullusq; tenax te carcer haberet.
Sed nisi ꝙ mitis/nisi ꝙ gratissimus ipse es:
Spectasset flores tristis florentia siccos.
Sed modo quęrit eq̃s/modo strictis illa sagittis/
Et nunc cerbereo cõmixto melle ueneno
Perdere. mille truces mortes tamẽ effugis unus.
Quas altus pindus/quas pindo maior olympus
Cumq; othry ornifero/quas ossa & peliõ herbas
In nocuis genuere iugis: quas flumen enipheus/
Apidanusq; senex: nõ hęc tua fata nouare/
Vitalesq; auras diuellere pectore possent.
Tu bene per libycos maculatos anguibus agros
Ire potes. conspecta tibi phorcynidos ora
Non nocitura forent. media si nocte bibisses
Archadię fontẽ: non lympha exhausta noceret.
Vince deos/& signa deum: quãdo oĩa subsunt
Pressa tibi/nutuq; tuo iã cũcta reguntur.
Iam genus humanũ tibi se debere fateṙ.
Tu iubeas. nullus iussis parere recusat.
Omnia solus hẽs. solus dominaris in orbe.
Cum socio non regna tenes. concurrere castra

florentia

pindus
olympus
othrys
ossa
pelion
enipheus
Apidanus

Nulla uides. mauors soli tibi cedit in armis.
Aegida dat pallas/tibi dat cyllenius harpen/
Gorgoneumq; caput perseus / fontemq; sorores
Virgineum/herculeas contemnit dextera uires
Hæc tua. non ullo est pectus penetrabile ferro.
In te frustra arcus contenti spicula mittunt.
In te etiam frustra tortũ balearica plumbum
Funda iacit. telum clypeum si rumpit/& arma:
Pectore cõtacto uibratũ amittit acumen.
Si tales ualido gessisset corpore cæneus
Et cycnus uires/non hunc strauisset achilles/
Illius in multas non isset spiritus ornos.
Si tali antheus fato uenisset ad auras/
Alcidesq; ferox: non esset ab hercule uictus
Ille/nec hic esset nexea fraude crematus.
Tuq; atlantei rutilantia poma draconis
Ante oculos rapes/nullo medicamine uictos
Aeripedes fuluo spoliares uellere tauros.
Postq̃ grata loco posuit fortuna tumenti
Effecitq; parem superis/uoluitq; præesse
Gentibus/atq; orbi/legesq; imponere mundo/
Et frenare malos/opibusq; augere benignos:
Ne mora te teneat. quid spectas oĩa labi?
Adde manus operi. subitum te accinge saluti
Humani generis/propiorіq; aspice uultu
Res italas bello oppressas/famaq; cadentes.
Expedias quodcunq; paras. uade incute montẽ.
Ne cesses. tenebras tellus tibi pandet opacas/

Et certum prębebit iter. non uirgo negabit
O mne aurū/ gēmasq; suas. posce. omnia plenum
Implebunt gremium: quod non uacuabitur ullo
Tempore: quo ue magis tribues: crebrescet ī illo.
Arua midæ liceat manibus contacta nitescant/
Et tagus in rutila flauescat diues harena/
Lætaq; sit danae pluuio: quod defluit: auro:
Talibus hi nunq̄ possunt se ęquare cauernis.
Subde caput latebris/ aurumq; effunde subauras/
Et pone īuictus medio tentoria campo:
Sub quibus innumerę gentes/ et lata tuorum
Castra ducum obsideant urbes. efferq; ferocem
Quadrupedē: quē nulla manus/ nec lācea uertet:
Qui cunctis semper se se præbebit in aruis
Victorem/ & læto semper remeabit honore.
Magna uelis: q magna potes. pete qcqd ī orbe ē
Et maria/ & terras. sine nil ditione teneri.
Aeternumq; uelis domino tibi cuncta subesse/
Imperiumq; tuum finis non terminet ullus/
Vltimus aut tandē regni sit finis in astris.
Scilicet est aliquid mundum domuisse triformē.
Nō tamē hoc satis est: soluit quādo omnia tēpus
Annosum/ & longos decrescit fama per annos.
Fac uigeat quodcunq; facis/ nec tempus/ & ętas
Consumat longęua/ tua sine laude uetustas
Nulla sit/ & semper memoret/ discatq; futurum
Bella/ & fata genus. nullo moriaris in æuo.
Aeternum/ uiuumq; diu te sęcula narrent

Midas.
Tagus.
Danae.

CARMEN

Alexander
Menelaus
Hector
Aeneas
Achilles

Omnia/nulla tuã uideat mors ultima uitam.
Carmine fama uiret/fama est sine carmine nulla/
Morte caret carmen/nec tempore deperit ullo.
Omnia si delent:non delent sæcula carmen.
Viuit alexander/uiuit menelaus/& hector/
Viuit & æneas/& fortis uiuit achilles:
Donec opus stabit uatũ.qua pgama flãma/
Et qua phæbeę thebæ cecidere ruina:
Scimus enim:donec stabunt monumẽta poetę.
Terrarum uates omni departe uocabis:
Quorum lenta sacrũ spirant pręcordia phębum.
Hi tua castra canent/hi te/& tua facta notabunt/
Victricesq; acies/et quæ te sydera in auras
Eduxere leues/quæ sors/& fata cauernas
Applicuere cauas/gemmasq; ut nactus/& aurum.
Si quid musa ualet/si quid mea carmina possunt:
Carmina te nunq̃/nunq̃ te musa tacebit.
Omnia tu bello subdas.ego carmine ducam
Aeternũ:quodcunq; facis.non gloria segni
Carmine mandet̃.surgent mea plectra tonanti/
Altisonaq; tuba.mare te memorabit utrunq;.
Venturi nos ambo legent/celebresq; canemur
Inuita nos morte duo.memorare iuuentę
Gaudebunt tua facta senes.sis letus/& omni
Laude uehat fortuna potens/sint omnia uitę
Tempora grata tuę/& uotũ tua fata secundent:

Finis.

pacificus Maximus Asculanus.

